

ORATIO AD INVICTISSI- MVM ROMANO- rum Imperatorem CARO- LVM V. Ee. P. semper Aug- ac Reuerendissimos Illustrissimo- q; Pricipes, & reliquos sacri Ro- Imperi status, pro Hun- gatis & Sclavis.

PER REVEREN: LADIS-
laum de Macedonia Episcopum va-
radensem Sereniss. principis & I. D.
FERDINANDI, Hungarie &
Bohemie Regis &c. Confis-
tiarium, Oratorem Hungar-
iæ, Augusti in Comit-
ens Imperij
habita,
Pridie Kal. Octob:
Anno. M. D. XXX.



ORATIONES II. et III. cum „Libello Supplicatorio” (a. MDXXX)

Oratio ad invictissimum Romanorum Imperatorem Carolum V.
Fe(licem) Pi(um) semper Aug(ustum) Reverendissimosque Prin-
cipes et reliquos sacri Ro(mani) Imperii status pro Hungaris et
Sclavis per reveren(dissimum) Ladislaum de Macedonia Episco-
pum Varadiensem, Sereniss(im) principis et D(omini) D(omini)
Ferdinandi, Hungarie et Bohemiae Regis etc. Consiliarium, ora-
torem Hungariae Augustae in Comiciis Imperii habita Pridie
Kal(endas) Octob(ris) Anno MDXXX.

Lector candide! Nolo te nomina Oratorum et Regni Hungariae
et Sclavoniae ignorare.

Regni Hungariae

Reverendissimus Ladislaus de Macedonia Episcopus Varadiensis
Magnificus Nicolaus Comes de Thurocz Magister curiae
Consiliarii Regii

Regni Sclavoniae

Egregii Thomas Kamarii aulicus Regius et Georgius Spiiczko

Sacratissima Maiestas Imperialis, Domine nobis clementissime! Prelati,
Barones et Nobiles atque alii ordines Regnorum Hungariae* et Sclavoniae
servitutis eorum fidem ac promptitudinem in graciam maiestatis vestrae Cae-
sareae sollicite commendant optantque maiestati vestrae incolumem et diu-
turnam vitam, et hanc rerum eius gestarum magnitudinem et felicitatem,
ut Maiestati vestrae sempiterna sit, Deum, rerum omnium opificem, precantur.
Agunt in primis Deo opt(imo) Max(imo) immortales gracias, et Maiestati
vestrae, Invictissime Caesar, apprime gratulantur, quod Maiestas vestra tot
triumphos tamque multiplies victorias, ex variis et potentissimis hostibus
suis, superioribus annis retulerit, et magnam orbis partem cunctis antehac
seculis incognitam classis Maiestatis vestrae invenerit, inventam auspiciis
eius domuerit subdideritque, non parvis fidei Catholicae fundamentis in ea
iactis; proinde cum Maiestas vestra et terra et mari in ipsis usque antipodas
imperium protulerit, ut armis eius omnis ferocitas populorum cederet, non
immerito, quin potius pie et religiose augurantur Maiestatem vestram invic-
tissimam etiam adversus immanissimum Christiani nominis hostem simili
et feliciore auspicio progressuram pugnaturamque. Gratulantur item, quod
Maiestas vestra Caesarea omnibus rationibus et privatis commodis post-
positis cum principibus concordiam inierit, ut totas deinceps vires in hostes
religionis converteret, pacatoque totius Italiae statu, Maiestas vestra Cesarea
per sanctissimum Dominum nostrum Clementem Septimum Pon(tificem)
Max(imum) legittime inuncta** et Coronis Imperialibus*** rite insignita
fuerit, quod foelix faustumque ac universo nomini Christiano salutare sit,
exoptant. Verum enim vero proceres nostri cum primis se Maiestati vestrae
obnoxios fatentur, quandoquidem non dubitant Maiestatem vestram, plurimum
de suo iure apud hostes decidere coactam, dum foedus cum eis paci-
scitur, ut pacato Occidente et Italia, Austriae laboranti succurreret atque
Hungariam iam iam labentem fulciret, quemadmodum Maiestas vestra, sta-
tim iter ingressa, magnis mox itineribus ex Italia in Germaniam contendit.
Hungaris nimirum et Sclavis adventus Maiestatis vestrae sacratissimae tanto
maiori fuit desiderio et expectacioni, quanto maioribus periculis inter ceteras
Christianas nationes tot annis sunt vexati et attriti, resque eo redierint, ut
post Deum non, nisi virtute et auxilio Maiestatis vestrae Catholicae, incolu-
mitatem eorum pristinam recuperaturos sperent. Gratulantur postremo, quod
Maiestas vestra Caesarea, tempore usque adeo necessario, ad succurrendum
non tam Regiae Maiestati, quod ipsum erat pientissimi Fratris**** officium,

* *Hungarie*

** *inuncta*

*** *Imperialibus*

**** *Fratris*

1

2

3

4

5

6

sed ad ferendam opem universae Christianae religioni afflictæ et laboranti,
ut optimum et Christianissimum decet imperatorem, Serenissima Impera-
trice et Charissimis liberis relictis, ex Hispania in Germaniam accesserit; neque
enim nos aliam huiusc laboris causam arbitramur, quam ut Imperium Chri-
stianum in has coactum angustias adventu suo restitueret, defenderet, profer-
ret, ampliaret. Quamobrem pro explorato habeat Maiestas vestra sacratis-
sima Hungaros et Sclavos etiam in electione Serenissimi Regis Ferdinandi,
Domini nostri Clementissimi nil aequa spectasse et habuisse pœ oculis, quam
Caesaream Maiestatem vestram, quae cum dei bonitate tot regnîs et fortis-
simis nationibus presit, et hac Romani Imperatoris dignitate excellat et Regis
nostri Frater sit. Speramus eorum auspiciis fore, ut aliquando Turcae a fini-
bus patriæ nostræ provinciarumque suæ Maiestatis propulsentur, atque
adeo Christianus orbis a seva et diuturna illorum infestatione ac rabie libe-
retur. Neque opus est, ut longa oratione prosequamur, quibus calamitatibus
Hungari et Sclavi, plusquam per centum annos, dum se et universam Chri-
stianitatem tuentur, sint attriti. Notas enim habet eas Sacratissima Maiestas
vestra, presertim quum anno proximo Austriam quoque, avitam Maiestatum
vestrarum provinciam, eadem clades involverit, et cum a Regia Maiestate,
Domino nostro Clementissimo, tum ab aliis principibus subditisque suis hec
toties repetita planissime intelligat. Cogitet Maiestas vestra, quot Christiano-
rum millia vel unico anno superiori hostibus in servitutem crudelissimam
cesserint quantamque uno impetu stragem et vastitatem fecerint, tum faci-
lius animo suo considerare poterit, quae ab annis centum et triginta hactenus
Hungari et Sclavi pertulerint, cum interim suis tantum opibus viribusque
et non alienis auxiliis niterentur. Moneat Caesaream Maiestatem vestram
Christianissimorum maiorum suorum splendor ac nomen immortale, re-
spiciat omnium nationum in se conversam expectationem! Non aliam ob
causam Deus Maiestatem vestram tot commodis, quae in vita expetuntur,
ornavit, tot clarissimis victoriis illustrem reddidit, tot nationes illi subiecit,
Christianorum caput et Imperatorem esse voluit, quam ut Religioni sanctae
sic lacerae consuleret eamque suo restitueret auspicio. Nolit, queso, Maiestas
vestra sacratissima, tantam cum aliarum nationum, tum Hungarorum et
Sclavorum spem et fiduciam destitutam esse. Nunc esset tempus, quod vel
a Deo optari poterat maxime idoneum, quo Turcis bellum inferatur, quo
Christianis tranquillitas parari possit. Quod si hunc conventum Maiestatis
vestrae ac principum desideratus eventus non sequetur, quantam, deus bone,*
desperationem cum aliis christianis, tum Hungaris et Sclavis Maiestas vestra
Caesarea relinquet! Hostium animi magis, quam unquam alias, efferentur;
novam certe et inauditam in Hungariam ac Germaniam comparabunt expeditionem
et extremos in excidium Christianorum conatus suos interdent. Di-
gnetur itaque Maiestas vestra clementissima calamitatum Hungariae et Sclavoniae
misereri et earum liberacioni tandem consulere, atque ita sibi persuadere
posse eam nationem Maiestati vestrae et universae Christianitati, si
adiuti nunc fuerint, tantum inservire adversus hostes fidei, quantum quevis
alia natio vix possit. Nec moveat Maiestatem vestram Caesaream esse aliquos,
qui cum Turcarum praefectis sentiant; eos enim nec multos esse, nec ita animatos,
ut si expedicionem in Turcas fieri videant, ad obedientiam Regiae
Maiestatis nolint accedere; accident enim — ut spes est — et quidem cupi-

* bone

dissime contra veteres ac perpetuos eorum hostes arma capient. Neque dubitet
19
Maiestas vestra Catholica paucissimos admodum esse ex Hungaris et Sclavis,
qui sua sponte Turcis faveant, sed partim metu cogi aliquos, partim desperacione,
quod non existimant Maiestatem vestram Caesaream velle, Regem
autem nostrum posse regnum contra hostes potentissimos defendere. Quapropter
20
obtestamur Caesaream Maiestatem vestram, ut non solum afflictae
Hungariae, sed penitus etiam attritae ferre suppetias non dedignetur, idque
dum tempus postulat; alioque, si hanc commoditatem resistendi hosti ne-
glexerimus, nihil nobis aliud sperandum est, quam ut et nos cogamur hostium
iugum subire et Germania eundem hostem, quod dii avertant, sit propedium
expectura.

21
Commendamus itaque, invictissime Caesar, Regni Hungariae et Sclavonie
liberacionem et omnium statuum et incolarum salutem in graciam Maiestatis vestrae, pollicemurque Hungaros et Sclavos et eorum posteros perpe-
tuis serviciis devinctos fore Maiestati vestrae Catholicae paratosque pro di-
gnitate illius fundere sanguinem et quodvis subire periculum.

19

20

21

23

Ad Electores Principes et reliquos Sacri Ro(mani) Imperii Status

Reverendissimi in Christo patres et Domini Illustrissimi Electores principesque ac generosi et Magnifici huius sacri Imperii ordines, Domini nobis observandissimi! Prelati, Barones et Nobiles ac alii ordines Regnorum Hungariae et Sclavoniae post salutem et debitae eorum observanciae singularem commendacionem optant vobis, clarissimi principes, domi mutuae charitatis et concordiae incrementum, foris rerum gerendarum prosperos successus.

Quamquam scimus neminem esse in hoc frequentissimo simul ac clarissimo senatu vestro, Magnanimi principes, qui etiam tacentibus nobis legationem nostram ignorare possit, tum quod nusquam sint ignotae calamitates regni Hungariae et Sclavoniae, quas multis iam annis, dum hec natio, destituta omni externo presidio, sola contra hostes fidei pro religione certat, accepit, tum quod non *(solum)* per oratores nostros de communi discrimine reipub(licae) Christianae apud vos, clarissimi principes, egimus, sed Serenissimus Dominus noster Rex, sicuti nunc quoque adest, ita superioribus annis et hostium vires et conatus omnes, et pericula regni praeterita et futura et que vobis, principes, nisi prospexeritis, immineret, explicavit et depinxit, ut omnis nostra oratio supervacanea videatur, presertim quum ea, que proximo anno acciderunt, plerique vestrum non fama tantum audierint, sed viderint ac re ipsa sint experti.

Ne tamen negligencia nostra in extremis rebus accusari possit, missi sumus a Dominis fratribus et amicis nostris, Regni Hungariae et Sclavoniae statibus ad implorandum auxilium et vires quibus ab hoc hoste communi una vobiscum possint liberari.

Neque vos, Reverendissimi atque Illustrissimi Electores ac reliqui sacri Imperii ordines, immemores esse potestis, quocies per serenissimos Hungariae Reges admoniti fueritis se non posse diucius citra alienum auxilium tanto hosti resistere seque diuturna hostium vexacione bellisque maximis et incursionibus assiduis ita fessos et attritos esse, ut ne arces quidem et flumina ab illorum impetu servare aut tueri ullo modo possent. Auxilia sepius vestra implorata nunquam impetrata, sive quod vanas regum nostrum preces existimaveritis, sive quod rem alienam et nihil ad vos pertinentem putaveritis ferre Hungaris opem contra Turcas flagitantibus; licet quandoque oratores nostri huius precipue Caesareae Maiestatis temporibus responsum habuerint non omnino ingratum, cuius tamen boni responsi effectus item bonus in maximis Regni et Regum nostrorum periculis nunquam apparuit, non, quum expugnatum Belgradum est, non, quum Ludovicus rex, clarissimus heros, Germana regum propago, pro patria fortiter in acie dimicans cum optimatis proceribusque et tot fortissimis viris interierit, non anno superiore, quando Regia Maiestas, Dominus noster clementissimus *(vobis)* persuadere nullis rationibus potuit ipsum Turcarum Tyrannum non solum in excidium Regni

Hungariae venturum, sed multo etiam longius progressurum. Si exaudite
6
fuisserent ante annos aliquot Hungarorum querelae nostrosque labores adiu-
vissetis, licuisset diucius vobis, Principes, et Germaniae populis, quod ad
Turcas attinet, vestro ocio vestraque frui tranquillitate; nunc, si cessatum
7
fuerit, nihil obstare poterit, quin paucissimis annis easdem clades, quas Hun-
garia tocies, Austria proxime experta est, ipsa quoque Germania experiatur
8
ac sentiat. Non clam vobis est, quantos labores et pericula pro defensione
religionis et patriae ab annis centum et triginta Hungari et Sclavi suscep-
runt. Cum familia Dominorum aut Nobilium nulla sit tota sub dictione Coro-
9
næ Hungariae, quæ non aliquot viros a Turcis extinctos desideret; nulla
ecclesia, cuius aliquot Prelati non sint a Turcis interficti, ut innumerabilem*
populi multitudinem caesam et abductam, ut regnum sere omnibus partibus
igne vastatum praetereamus. Intellexistis vicissim, principes, clarissimas
quoque et creberimas Hungarorum et Sclavorum de Turcis victorias, preser-
10
tim dum essent eorum res magis integre; didicerunt** Hungari et Sclavi, licet
cum magno suo ac suorum detimento, quo pacto cum Turcis sit bellum
gerendum, proinde non esse negligendas eas nationes, quæ future sint Chri-
stianis in hanc, si suscipiatur, expedicionem maximo usui et adiumento. Quam-
vis igitur credant proceres ac ordines Regni Hungariae et Sclavoniae satis
superque vobis, principes Clarissimi, persuasum esse a Caesarea et Regia
Maiestate nihil esse hac ipsa in Turcas expedicione magis necessarium, quod
etiam res ipsa cuique facile possit persuadere, tamen Domini quoque et
alii ordines Regni Hungariae et Sclavoniae, vos, principes Magnanimi, per
Christi, Domini nostri preciosissimi sanguinis effusionem et eternae beatit-
udinis premia obsecrant et obtestantur, ut quod hactenus cum tanta Chri-
stianorum calamitate et ruina est pretermissum, nunc demum ad propulsandos
et longius summovendos hostes fidei magnis viribus accingamini servatam
fortasse ad hec nostra tempora et divinitus destinatam huic invictissimo
Romanorum Imperatori ac Serenissimo Hungariae ac Bohemiae, Regi Do-
mino nostro clementissimo, et Illustrissimis vobis Principibus atque adeo
nomini Germano non solum expedicionem in Turcas tot seculis desideratam,
sed victoriam quoque et Orientalis Imperii recuperacionem. Quae quidem
expedicio nulla fortassis maiorum aetate*** aut suscipi felicius aut absolvi glo-
riosius potuit, quum non ignoretis Turcarum Tirannum anno superiore
non solum intulisse cladem Christianis maximam, sed accepisse etiam peste,
inaedia, frigore ac longo labore itineris damnum incomparabile hominum,
equorum, camelorum atque aliorum iumentorum, quod antequam reparari
possit, si instare, Principes clarissimi, et Tirannum aliis etiam forte difficul-
tibus implicitum urgere volueritis, Deo propicio in manibus vestris victo-
ria est existimanda; alioqui, si spacium habuerit reficiendi vires, redibit mul-
to potentior multoque, quam venerat, instructior non iam ad vastandam
Hungariam aut Austriam, sed ad hanc ipsam Germaniam, vestram patriam
tirannidi suaे subiciendam. Quodsi expedicio per vos, principes clarissimi,
suscepta fuerit, accendent ultro agminibus vestris numerosae Hungarorum
et Sclavorum Copiae, cum equestres, tum pedestres, quæ pro defensione
religionis et pro victoria vestræ et sanguinem fundere et mortem fortiter op-
11
12

* *innumerabilem*

** *didicerunt*

*** Vocabuli *aetate*, atramenti macula obtecti, tantum littera prima *a* et ultima *e* evidenter
legi possunt

tere non dubitabunt. At contra, si vobis, Principes, desidentibus Turca arma
vestrà preverterit ac prior in regiones vestras ingruerit, veremur, ne armis
Turcarum — ut fit — cogantur cum Hungari, tum Sclavi (velint nolint)
cum Turcis una clarissimam hanc Germaniae oram invadere eamque ferro
et igne (dii, prohibete scelus!) vastare et populari. Quapropter, clarissimi
Principes, facite, ne frustra apud vos verba de hac miserrima calamitate fece-
rim. Quod autem ipsimet a Caesarea Maiestate ac vobis Illustrissimis Elec-
toribus, principibus ac relinquis sacri Ro(mani) imperii statibus* suppliciter
petant, ex hoc ipsorum Supplicatorio Libello rectius cognoscetis, ac quicquid**
statueritis, principes — rogamus autem, ut ea, quae vobis et nomini Christiano
salutaria sint, statuatis — de illo Domini et alii Regni Hungariae et Sclavoniae
ordines, primo quoque tempore, cupiunt fieri certiores.

* *statibns*

** *quicqid*

1

**Libellus Supplicatorius statuum Regni Hungariae et Sclavoniae
ad Sacratissi(mam) Caesaream Maiestatem et Serenissi(mum)
Regem Hungariae et Bohemiae etc. ac Reverendissimos Illustrissimosque Electores,
Principes et reliquos Imperii sacri status.**

Ut sacratis(sima) Maiestas vestra ac Sereniss(imus) ac Clementissimus Rex noster, una cum Electoribus, Principibus et reliquis sacri Imperii ordinibus, ea subsidia, eas vires in regna Hungariam et Sclavoniam in presentia — cum res ita postulet — mittere dignentur, Prelati, Barones proceresque et universi Regnorum praefatorum status humillime supplicant, quibus per hanc hiemem et universi regnorum status pacari et munitiones Turcis confines ita firmari possent, quo arma Turcae — si primo vere, ut hostis est vigilantissimus, patriam nostram invaserint — tamdiu remorentr, quoad Copiae generalis expeditionis in Hungariam descendere et nostris se coniungere poterint.

Nam alioqui, si Turca prior copias suas moverit munitionesque regnum praesidiis vacuas ac status inter se dissidentes invenerit, veremur, ne confestim Hungaros et Sclavos ad arma capienda compellat secumque ad devastandas perdendasque reliquas Christianas religiones solita rabie abducatur ac pro more suo primum exercitibus vestris obiciat, ut tandem fessos et fatigatos hostes quieta sua Ianiczarorum et equitum numerosissima turba adoriantur. Omnia primum vero ad pacanda Regna Hungariae et Sclavoniae summopere necessarium est, ut Copiae, quae in Hungariam adflictam et attritam Sclavoniam mittuntur, singulis mensibus solita stipendia accipient, quo facilius sub disciplina militari contineantur, ne et sacra et prophana iuxta perturbent, neque innoxios et fideles regios molestent et expilient; item quo Caesarea vestra Maiestas ac Sereniss(imus) ac clementiss(imus) Rex noster, una vobiscum Electoribus Principibusque et reliquis sacri Imperii ordinibus, hoc autumno ad componendum et pacandum Regnum Sclavoniae tria peditum millia, ac quattuor tormenta bellica murifraga et totidem minora, quae campestria vocant, in Sclavoniam mittant. Regnicolae equitatum peditibus se adiuncturos pro viribus offerunt sperantque hac hieme effici posse, ut ad instantis aestatis tempora nihil hostile in penetralibus regni maneat, quod expedicioni futurae impedimento esse possit.

2

3

Item, quoniam factio adversa in prefatis regnis spargit et nititur fideliibus Regiis ceterisque suae farinae hominibus persuadere Copias Germanorum non in liberacionem Hungarorum et Sclavorum descensuras, sed ut eos, tanquam armis subactos, partim deleant, partim servituti perpetuae subiciant, itaque supplicant universi status Regnorum Hungariae et Sclavoniae, ut Caesarea et Catholica Maiestas ac Sereniss(imus) ac clementiss(imus) Rex noster, una cum Electoribus, Principibus et reliquis sacri Imperii statibus, dignentur Hungaros et Sclavos cum ceteris nationibus coronae Hunga-

4

5

iae subiectis quemque literis suis in suo statu assecurare, quod copiae in Hungariam descensure neminem oppriment aut quovis modo in rebus aut persona molestabunt, qui Regiae Maiestati fuerint fidelis vel imposterum cum copiis Germanorum una adversus Turcas et eorum fautores fideliter arma caperet constanterque dimicaret*, habita etiam commiseracione eorum, qui omni defensionis solatio destituti Turcae Tirannidem inviti ferre coacti fuerint.

Ceterum, si proxima hac hieme Sacratiss(imma) vestra Maiestas ac Sere-niss(imus) ac clementiss(imus) Rex noster, vosque Electores, principes et reliqui sacri Imperii ordines, regna prefata pacare communi studio et auxilio neglexeritis aut in aliud tempus reieceritis, cogentur infelices utriusque Regni status, omni defensionis spe orbati, Turcarum principi tributum pendere, ut et suas calamitates et Regnorum maiorem vastitatem vitare possint. Nam etsi libertatis pociundae et defensionis gracia nihil non tentandum et feren-dum ab inicio putassent, cum tamen maxima spe externi auxilii frustrati hac-tenus sint, pudet eos sese universo orbi terrarum adeo insolitum spectaculum exhibere, ut preter omnium ferarum seviciam in fratres, liberos et affines, sanguine cognato plus satis contaminati, mutua cede grassentur et, quicquid ab armis exterorum mansit, id totum ipsi inter sese vastent.

Tandem universi status et ordines Hungariae et Sclavoniae, tanquam sincera Christianitatis membra, post longinas, diuturnas et frequentes eorum legaciones et implorata auxilia hac ultima eorum — nisi succursum illis fuerint — legacione notum et protestatum esse volunt cunctis, qui Chri-stiano nomine** censemur, se non ex malicia aut livore, sed ob defectum et dilacionem externi auxilii et desperacionem defensionis liberacionisque suaee invitox quidem et non sine gravissimo animi dolore cogi et compelli, ut tan-dem post tot bella, clades, afflictiones, crebras incursiones, agrorum et oppidorum devastationes, captivitates durissimas, fratrurn, uxorum, liberorum, amicorum, affinium abactiones et cedes remedia qualiacunque querant, quibus, ut diximus, clades, calamites, afflictiones, captivitates et extremam dulcis patriae vastitatem vitare possint, Deus Opt(imus) Max(imus) et iusti Christi-anorum principes, quorum id culpa contingat, viderint.

* *dimicarent*

** *nominę*